

est, in necessitate Eucharistia, & extrema unctio. Per tertium effectum privantur sepultura ecclesiastica etiam innocentes, & infantes; non autem clerici specialiter non interdicti, nec alii privilegiati, qui causam interdicti non dederunt. Clerici enim possunt sepeliri sine pompa ecclesiastica, & alii cum pompa in privilegio sibi concessa. Sepeliens specialiter, & nominatim interdictum incurrit excommunicationem majorem, *Ex Clement. 1. de sepulturis.*

140. Inq. 5. Quis possit absolvere ab interdicto? R. Sub distinctione. Vel enim interdictum est personale speciale latum a jure non reservatum, ab hoc quilibet Confessarius absolvere valet. Vel est reservatum, vel ab homine latum, aut personale generale, aut locale generale, vel speciale, & hoc solum tolli potest ab eo, qui illud possuit, ab ejus Superiore, aut ejus successore. Nec in virtute Bullæ, aut jubilei relaxari quit, quia locus aut communitas nequeunt sacramentaliter ab solvi. Vel est latum ad tempus, vel donec satisfacias, & hoc, elapso tempore, aut satisfactione præstita, tollitur. Vel interdictum est deambulatorium, aut si interdicatur locus, ad quem Petrus v. g. pervenerit, & hoc tollitur, Petro inde recedente. Vel denique est latum contra communitatem, & tunc, ipsa dissoluta, evanescit interdictum.

141. Inq. 6. Quid sit cessatio a divinis? R. Est prohibitio ecclesiastica clericis imposita, ut abstineant ab officiis divinis, & sepultura ecclesiastica. Non est censura: sed potest esse generalis alicujus regni, aut Diocesis, vel specialis hujus Ecclesiæ, sicut interdictum. Imponitur in signum gravissimi mæoris ob injuriam Deo, & Ecclesiæ irrogatam, ut ab ea delinquentes desistant, & Ecclesiæ satisfaciant. Non afficit determinatam personam, sed illam, aut illas Ecclesias, pro quibus fertur, ideoque in eis cessant officia divina, organa, laudes Dei publicæ, & sacrificia. Solum enim valet celebrari una Missa cum assistentia unius ministri ad renovandam Eucharistiam, & ad illam consecrandam pro viatico alicujus infirmi. Nec valent ministrari sacramenta, nisi baptismus parvulis, & poenitentia, & Eucharistia adul-

tis in articulo mortis. Possunt tamen fideles in Ecclesia sepeliri sine officio funerari, nisi alias obsit impedimentum interdicti.

142. Violans cessationem peccat graviter, non autem fit irregularis. Regulares debent illam observare sub pœna excommunicationis, ut dictum est de interdicto. Qui causam dedit cessationi tenetur clericis restituere damna ex ea secuta. Solum qui posuit cessationem, ejus superior, aut successor valet eam tollere, quia non fertur a jure, sed ab homine.

143. Inq. 7. An expediat ponere interdictum, aut cessationem ob furtum pixidis, simul cum hostia, vel particulis consecratis? R. affir. Quia si Laban tantum doluit ob suos Deos inanes furatos, si David renuebat dare oculis suis somnum, & palpebris suis dormitationem, donec inveniret locum Domini, vel Dominum omnis loci, si Roma, sublato e Capitolio simulacro Amoris, turbata ex maestitia, solertissime querebat, nec aliud cogitabat, nisi illud omni via perquirere, cunctis vociferantibus: *Matrem quæso Romane requiras*: quanto amplius requirendus est verus Deus, omniumque Dominus omni diligentia, donec inveniantur? Ita anno 1645. contigit Metinæ Campi in Hispania, cum quidam seclusus, suadente diabolo, abstulit e sacrorio cujusdam Ecclesiæ vas, in quo servabatur sacrosancta Eucharistia, cujus deploranda absentia perturbata civitas, vocibus, lacrimis, & clamoribus cœlum penetrabat, atque ab Ordinario agnita, posuit interdictum, & omnium officiorum cessationem, donec Deus veri amoris inventus fuit. Idem fere accidit in alia urbe, ubi sacra Eucharistia projecta in campum a sacrilego, horrendoque fure, inventa fuit. O res mirabilis! venerata a plurimis formicis, quæ, velut agnoscentes creatorem suum, fecerunt illi aristis, & paleis quemdam Tronum, ubi ei venerabundas excubias alternatim se facere depromebant. Sic inter alios refert N. Chronica Tom. 6.

Nota autem, quod unus ex illis latronibus comedit particulas consecratas, alter eas projecit in terram: & licet uterque horribile sacrilegium commisit; hic

sc-

secundus gravius altero perpetravit, juxta D. Thom. 3. par. q. 80. a 5. ad 3.

## TRACTATUS TRIGESIMUS SEPTIMUS

### DE IRREGULARITATE.

CUM irregularitas sit pœna ecclesiastica, non parum cum censuris connexa, ideo opportune post harum elucubrationem, de illa tractatum institui-

R. Quod primo dividitur in totalem, & partialem. Illa privat tum a susceptione ordinum; tum ab exercitio susceptorum. Hæc autem solum ab exercitio ordinis suscepti, vel solum ab ulterioris susceptione, ut Diaconus, cui erutus est sinister oculus, non privatur usu ordinum, quos recepit, sed tantum receptione Sacerdotii. Utraque subdividitur in perpetuam, & temporalem. Illa est, quæ solum dispensatione tollitur; hæc vero temporis lapsu, ut si quis bona fide ante legitimam ætatem recepit ordines, quos subinde, adveniente ætate, exercere valet.

#### CAPUT UNICUM.

De irregularitate tum in communi, tum in particulari.

#### PUNCTUM I.

De irregularitate in communi.

1. Inq. 1. Quid sit irregularitas? R. Est impedimentum canonicum privans hominem primario a susceptione ordinum, & secundario ab exercitio susceptorum. Dicitur impedimentum, & non pœna, ad differentiam censuræ, quæ semper est pœna, & non incurritur sine culpa: irregularitas autem potest incurri sine culpa, & non semper est pœna, sed est quedam inhabilitas, vel defectus. *Canonicum* dicitur, quia est impedimentum ex mero jure ecclesiastico; non enim datur irregularitas ex jure naturali, aut divino. *Irregularis* idem est, ac *sine regula*, vel *contra regulam*, aut *canonem*. Unde femina, perpetuo amens, & non baptizatus non suat proprie irregulares, sed inhabiles ad ordines jure divino, aut naturali. Per reliquas particulas inuivitur effectus irregularitatis, qui est privare directe a susceptione ordinum, & indirecte ab exercitio susceptorum. Differt etiam per eas a censuris, quia irregularitas privat a susceptione ordinis, ut ordo est; excommunicatio vero privat eo, in quantum est communicatio cum aliis, suspensio, in quantum est exercitium potestatis clericalis, & interdictum, in quantum est officium divinum.

2. Inq. 2. Quotuplex sit irregularitas?

3. Secundo dividitur in eam, quæ est ex delicto, & in eam, quæ est ex mero defectu. Illa est octuplex. 1. Ex homicidio injusto directe voluntario. 2. Ex injusta mutilatione directe voluntaria. 3. Ex homicidio indirecte voluntario, seu casuali. 4. Ex iteratione baptismi. 5. Ex violatione censuræ. 6. Ex illegitima receptione, seu administratione ordinum. 7. Ex delicto, cui annexa est infamia. 8. Ex apostasia a fide, vel hæresi ex terna. Irregularitas ex defectu habet novem species. 1. Ex defectu natalium. 2. Ex defectu animæ. 3. Ex defectu corporis. 4. Ex defectu ætatis. 5. Ex defectu congruæ subventionis. 6. Ex defectu libertatis. 7. Ex defectu famæ. 8. Ex defectu sacramenti, seu ex bigamia. 9. Ex defectu lenitatis.

4. Inq. 3. Quotuplex sit effectus irregularitatis? R. Est triplex. Primus privare a receptione ordinum, etiam primæ tonsuræ; licet enim non sit ordo, est tamen via ad ordines, & constituit in ordine clericali. Unde graviter peccaret irregularis, qui tonsura initiaretur. Secundus privare exercitio ordinum susceptorum. Tertius privare receptione cujuscumque beneficii, dignitatis, aut pensionis clericalis. Verum dum irregularitas est tantum partialis, solum privat receptio-

ne

ne beneficij, quod datur propter officium, a quo arcetur clericus ex illa irregularitate. Quidquid alii dicant, invalida est collatio beneficij facta irregulari ex Trident. sess. 22. cap. 4. de reform.

5. Irregularitas præcedens beneficio privat etiam jurisdictione ei annexa; huiusmodi quippe jurisdictione fundatur in beneficio, cuius est incapax irregularis. At si superveniat beneficio jam obtento, nec privat beneficio, nec jurisdictione, quæ sine ordinis usu exerceri potest. Unde Parochus, qui subinde fit irregularis, valet solemniter baptizare, assistere matrimonio, vel delegare jurisdictionem ad sacramenta suis ovibus ministranda.

6. Inq. 4. Quis possit ponere, & incurrere irregularitatem? R. Solus Pontifex, aut Concilium generale valet illam ponere; non Episcopus, nec concilia Provincialia. Unde nulla datur irregularitas ab homine, sed a iure; nec incurritur, nisi sit in iure expressa. Subiectum autem capax irregularitatis est omnis, & solus vir baptizatus, excepto summo Pontifice, qui suis legibus quoad vim coactivam non subijcitur. Irregularitas ex delicto nequit incurri nisi ob peccatum grave externum, & in sua linea consummatum, quia est poena gravis; incurritur autem ob crimen grave externum, esto occultum, ut patet in homicidio occulto, ob quod incurri irregularitatem nemo ambigit.

7. Inq. 5. Quæ causæ excusent ab irregularitate ex delicto incurrenda? R. Excusare in primis ea omnia, quæ actum a culpa gravi eximunt. Uti sunt ignorantia invincibilis, inadvertentia, parvitas materia. Metus autem gravis licet non excuset a culpa, excusat tamen ab irregularitate, quia Ecclesia non intendit cum gravi damno suis legibus obligare. Dubium juris, non facti, excusat ab irregularitate. Unde dubitans de lege irregularitatis, excusatur ab irregularitate, secus autem dubitans de facto, ut si quis conscius legis canonicæ dubitat, an homicidium, vel abortum facti animati perpetravit. Ex cap. *Significasti*, & ex cap. *Ad audientiam*. Et quamvis aliqui hoc ad dubium homicidii limitent, verius tamen extendi debet ad omne dubium, saltem de facto ex ratione in dictis capitibus apposita, nempe, quod in dubiis tutiorem debeamus eligere partem.

8. Inq. 6. Quot modis possit irregularitas tolli? R. Tribus modis. Nempè cessatione causæ, professione religiosa, & dispensatione. Alii dicunt, quod etiam baptismo, sed hoc non tenet, quia non baptizatus nequit fieri irregularis, ut omnes asserunt. Unde infidelis homicida non fit irregularis. Bigamus autem manet irregularis etiam post baptismum: non ergo tollitur irregularitas per baptismum. Cessatione causæ tollitur irregularitas ex defectu v. g. ætatis, qua adveniente, cessat irregularitas. Professione religiosa tollitur illa, quæ provenit ex defectu natalium, vel adest privilegium, ut a Prælati regularibus relaxetur. Dispensatione Pontificis tolli potest omnis regularitas. Episcopi habent facultatem dispensandi in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, excepto homicidio directe voluntario. Eadem potiuntur facultate Prælati regulares pro suis subditis ex privilegio Pii V.

#### PUNCTUM II.

##### De irregularitate ex delicto.

9. Inq. 1. Quæ sit irregularitas maxima ex delicto? R. Esse illam, quæ provenit ex homicidio injusto directe voluntario. Incurrunt hanc irregularitatem omnes, qui ex professo, seu directe perpetrant homicidium, mandant, seu consulant illud per se, vel per alios. Unde in bello, aut iudicio injusto, in quo aliquis occiditur, sunt irregulares omnes, qui ad illud cooperantur mandato, consilio, favore, testificando, acusando, seu alio modo influendo. Item qui apponunt causam, ex qua mors sequatur, ut qui lethaliter vulnerant, aut propinant venenum. Requiritur autem, quod de facto ex ea mors sequatur; nam si mors, esto miraculose, impediatur, irregularitas non incurritur. At incurritur, morte secuta ex causa apposita, licet, qui eam voluntarie posuit, ante mortem ex corde peniteat, quia non est censura, contumaciam requirens ad sui incursionem. Incurrit etiam illam, qui in rixa, casu aborta, voluntate, & directe occidit hominem, quia hic licet non dolo, & per industriam, aut insidias, tamen ex proposito, & directe

#### Cap. Unic. De irregularitate, tum in communi tum in particulari. 399

recte illum occidit: & hoc sufficit pro hac irregularitate incurrenda, quidquid alii non improbabilius sentiant.

10. Inq. 2. An mandantes, aut consules homicidium fiant irregulares, si ante executionem mandatum, aut consilium revocarunt? R. Quod si revocatio efficaciter, & omni modo possibili fuit facta, & intimata mandatario, aut conciliario, de quo est major difficultas, non incurrit irregularitatem ob rationem, quam agentes de restitutione, & censuris dedimus. Tunc enim non ex mandato, aut consilio, sed ex malitia operantis sequitur mors. Nec incurritur irregularitas rati habitatio, quæ quis ratum habet homicidium suo nomine factum, quia apponitur perpetratum sine ullo ejus influxu, & in ejusdem absentiam fieret, eo præsentem, & oppositum non suaderet, illam absdubio incurreret. Similiter illam incurrit, qui non impedit homicidium, si ex iustitia ad id tenetur, non vero si solum ex caritate, ut supra de censuris dictum est.

11. Objic. Rati habitio percussiois clerici sufficit an incurrendam censuram, ergo rati habitio homicidii sufficit ad incurrendam irregularitatem. R. neg. consequ. Disparitas stat in eo, quod pro secundo casu non adest textus id præscribens, pro primo autem adest textus id expresse decernens in cap. *Cum quis, de sent. excom. in 6.*

12. Nota, quod P. Concina in præsentem renuit assentire Prælatos regulares posse ex privilegio cum suis subditis dispensare in hac irregularitate in sæculo contracta, & ita interrogat: *Aptus ne homicida ad religionem proficiendum?* Absdubio ignorabat Concina, quod homicidis occultis postulantiibus dispensationem sacra Pœnitentiaria solet non semel rescribere: *ingreditur religionem.* Sciat igitur homicidam occultum, jam serio emendatum, aptum esse ad religionem, sicut ad poenitentiam. Nemo velit obserare claustrum, quibus Deus aperit cœlum. Prohibitio enim Sixti V. ne admittantur criminosi ad religionem, intelligitur de publicis, non de occultis. Igitur ratio Concinae nulla est, licet Prælati regulares nequeant dispensare in dicta irregularitate in sæculo contracta. Quod palam constat ex Bulla Benedicti XIV. *Pastor bonus*, ubi §.

17. expresse loquitur de homicidiis volentibus ingredi religionem, & in ea profiteri.

13. Secunda irregularitas ex delicto est, quæ provenit ex injusta alicujus membri mutilatione, sive in se, sive in alio. Si quis sibi amputet manum, duplicem irregularitatem incurrit, unam active ex membri mutilatione, aliam passive ex privatione membri necessarij ad Sacerdotij ministerium. Si alium deformer sine mutilatione, efficit illum irregularem, ipse vero non manet irregularis. Hanc enim irregularitatem solum incurrit active, qui alteri abscondit membrum ab aliis distinctum, & habens proprium officium. Huiusmodi sunt oculus, pes, manus, membrum virile, uterque testiculus in probabiliore, & mamilla in foemina.

14. Auricula autem, aut nasus non sunt membra, sed tutela, aut ornamentum sensus. Idem est de barba, capillis, dentibus, & digitis, unde esto quis alteri amputaret digitos necessarios ad contractandam hostiam, non fieret irregularis, licet alium irregularem efficeret: econtra vero qui sibi digitum injuste amputaret, vel se deformaret, irregularis fieret, quia major atrocitas reputatur a iure in seipsum, quam in alios sævire. Idem est de abscondente sibi ex imprudenti devotione, aut intentione servandi castitatem membrum virile, aut testiculos, castitas quippe potius residet in volutate, quam in membris, quorum mutilatio ineptissima est ad eam servandam. Eandem irregularitatem incurrit mandantes, consulentes, seu cooperantes ad mutilationem, prout dictum est circa homicidium. Qui autem consultit mutilationem ei, quem non potest ab homicidio aliter avertere, non peccat, nec irregularitatem incurrit. Qui virum, aut foeminam sterilem efficit, licet homicida reputetur, non incurrit irregularitatem.

#### PUNCTUM III.

##### De irregularitate ex homicidio casuali.

15. Inq. 1. Quidnam sit homicidium casuale? R. Illud quod fit absque voluntate, & intentione occidentis. Potest autem fieri, vel absque ulla culpa, ut in amea-

amentia, aut ebrietate, nullo modo illud prævidendo; vel cum gravi culpa, vel quia prævidit, vel debuit prævidere, & omisit diligentiam sufficientem ad illud vitandum, dando operam rei illicitæ, vel quia dedit operam rei illicitæ ex se periculose. In primo casu non incurritur irregularitas, quia absque culpa non datur poena; in secundo, & tertio incurritur, quia adest culpa gravis in omissione diligentia, & in exercitio actionis illicitæ ex se periculose. Si autem quis det operam rei licitæ, aut illicitæ, non quia periculose, sed ex alio capite, & adhibeat diligentiam, ne mors sequatur, non incurrit irregularitatem, esto sequatur. Ut pulsans campanas tempore interdicti, si cadente tintinabulo absque eius culpa, hominem occidat, non fit irregularis. Idem de custode leonis, aut alterius feræ occidentis aliquem absque custodis negligentia. Idem de reficente tectum, qui moens transeuntes, casu tegula, aut lapide projecto, aliquem occidit. In dictis vero casibus, aut similibus, si non moneat, aut omittat diligentiam prudentem, incurritur irregularitas, quia qui non præcavit malum, quod prævidit, aut prævidere debet, reus est mali ex sua actione, & negligentia secuti; velle namque illud censetur in causa, aut indirecte: Ita Angelic. 2. 2. q. 64. art. 8.

16. Verum qui dat operam rei illicitæ periculose, esto adhibeat diligentiam ad vitandum homicidium, hoc secuto, probabilius incurrit irregularitatem, quia in jure casu occidens, aut mutilans censetur irregularis, nisi det operam rei licitæ cum sufficienti diligentia ad malum præcavendum. Et merito, quia qui dat causam damni, damnum dedisse videtur, & qui vult opus ex se periculosum, eo ipso vult effectum, inde secutum. Unde irregularis fit adulter, qui est causa, ut uxor a marito occidatur. Irregulares sunt clerici pugnantes in bello, exercentes torneamenta, aut venationes majores ferarum cum strepitu armorum, aut medicinam, vel chirurgiam cum incisione, vel adustione, nisi in casu necessitatis, & in defectu alterius medici, aut chirurgi. Si autem absque incisione, vel adustione illam exercent, non sunt irregulares, esto infirmus moriatur absque eorum negligentia:

hac enim stante, etiam medicus, aut chirurgus laicus fit irregularis.

17. Inq. 2. An dubitans, ne ex sua actione homicidium sit secutum, debeat se gerere ut irregularis? R. affirm. Constat ex c. Ad audientiam. Et c. Significasti. 2. Aliqui ajunt hos textus dirigi tantum ad clericos, & solum facere illos irregulares quoad duos effectus, nempe abstinendi a celebratione, & querendi dispensationem; hoc est, quod debeant abstinere a celebratione, donec querant, & habeant dispensationem. Sed hæc gratis, esto pie, asseruntur, quia, in dubio facti sive homicidii, sive abortus feci animati, sive mutilationis membri, aut alterius delicti, quod irregularitate punitur, irregularitas incurritur; ratio enim in dictis juribus exposita, quod in dubio tutor pars est eligenda, tam clericis, quam secularibus, & omni dubio saltem facti, congruit, & applicari debet.

18. Inq. 3. An fiat irregularis, qui ad levamen dat infirmo aliquid, ex quo mors, aut ejus acceleratio sequitur? R. Sub distinctione: si enim tribuat, vel faciat aliquid notabile contra prescriptum medici, esto id faciat ex compassione, fit irregularis, quia sic dat operam rei illicitæ periculose. Idem est de illo, qui constituto in maximo tormento, aut angore, ne tantum patiat, mortem acceleravit, vel e vulnerato incaute gladium extraxit, ex quo mors secuta, aut accelerata fuit. Si autem quis infirmo bona fide tribuat, aut faciat quiddam, vel illum revolvat, aut in aliud latum vertat ad suum levamen, esto inde acceleratio mortis eveniat, non fit irregularis, quia dat operam rei licitæ. Unde quilibet potest sine scrupulo infirmos hinc inde vertere, & alia officia caritatis exhibere, dummodo prudenti æconomia id faciat.

19. Inq. 4. An occidens injustum invasorem incurrit irregularitatem? R. Quod occidens cum moderamine inculpata tutele invasorem actualem vitæ non fit irregularis; quia non peccat, esto invasor, ut supponitur, sit in peccato mortali, non enim est in extrema necessitate, sed in extrema iniquitate. Idem est de volente mutilare, aut grave vulnus infligere. Si autem quis excedat graviter moderamen defensionis, peccat occidendo in-

vasorem vitæ, membri, aut vulneris, consequenterque fit irregularis. Dices: Quomodo ergo ait D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 7. ad 3. Clericus, etiam si se defendendo interficiat aliquem, irregularis est, quamvis non intendat interficere, sed se ipsum defendere. R. Distingue tempora, & concordabis jura; tempore D. Thomæ sic erat sancitum a Nicolao IV. Verum postea rigorem illius decreti altero moderavit Ecclesia. Clement. unic. de homicidio.

## PUNCTUM IV.

De irregularitate ex baptismi iteratione, violatione censurarum, & illegitima ordinum receptione.

20. Inq. 1. Quando incurritur irregularitas ex iteratione baptismi? R. Dum solemniter, scienter, & culpabiliter iteratur baptismus incurrit a ministrante, recipiente, & ab Acolyto assistente, ita ut nequeant ulterius ordinari; non enim est irregularitas totalis, sed impediens ascensum ad alios ordines. Hæc irregularitas inducta est ab Ecclesia in detestationem erroris Donatistarum, & Anabaptistarum asserentium pertinaciter posse baptismum iterari. Non tamen incurritur, quando ex causa rationabili, vel dubio prudenti prioris baptismi iterum confertur sub conditione, quia tunc licite fit, & debet fieri; neque si ex metu gravi iteretur absque intentione, secluso contemptu, quia tunc non est vera, sed ficta rebaptizatio. Nec incurritur ex iteratione confirmationis, aut ordinis, licet imprimant characterem, & nequeant iterari; quia hoc non decernitur in jure; & in poenalis non extenditur de uno casu ad alium similem juris dispositio.

21. Inq. 2. An sit irregularitas inducta a jure pro aliqua indigna receptione baptismi? R. affirm. Nam duplici in casu præscribitur irregularitas. Primo, si quis sponte, & absque necessitate recipiat baptismum ab hæretico cognito, ut tali, quia ab eo baptismum recipiens hæreticorum errori communicare videtur. Ex cap. Quia in qualibet. 1. q. 7. Secundo, si quis differat baptismi receptionem usque ad finem vitæ, quia non præsumitur perfecta fides in eo, qui tantum differet Ecclesiam ingredi. Ex cap. Si quis, dis-

Tom. II.

tinc. 57.

22. Irregularitas ex violatione censurarum incurritur, quoties aliquis majori excommunicatione ligatus, vel suspensus, vel personaliter interdictus, etiam toleratus, aut occulte, vel in loco interdicto sponte, & scienter actum ordinis majoris solemniter exercet. Ex cap. Si quis Episcopus 11. q. 1. Subdiaconus autem, qui sine manipulo canit Epistolam, vel Diaconus, qui sine stola Evangelium, non fit irregularis, quia sine manipulo, aut stola respective deficit requisitus solemnitatis, nec qui minorum ordinum officia exequitur; hæc quippe etiam a laicis ex consuetudine obeuntur; nec qui exercet ministeria solius jurisdictionis, quia solum ob actum ordinis sacri a censuratis exercitum, inflicta est irregularitas. Hi autem actus sunt celebrare Missam, absolvere a peccatis, canere solemniter Epistolam, aut Evangelium, benedicere solemniter nuptias, cineres, ramos, candelas, Ecclesiam, aut vasa sacra. Absolvere vero a censuris, delegare jurisdictionem ab eis, vel etiam a peccatis absolventi, vel ad alias functiones excedendas, canere horas canonicas in choro, & prædicare non sunt actus ordinis.

23. Nota, quod Episcopus, aut alius Sacerdos excommunicatus, suspensus, aut interdictus vitandus cogens alium coram se celebrare fit irregularis ex cap. Illud, de cleric. excom. ministr. Alii clerici, qui Sacerdotes non sint, non comprehenduntur hac poena, nec Sacerdos, qui alium cogeret celebrare coram aliis; quia textus solum loquitur de cogente coram se celebrare. Hæc autem mihi methaphisica videntur; quis enim vitandus, nisi stultissimus, alium cogere coram se celebrare credendus est?

24. Irregularitas ex illegitima ordinum receptione incurritur, dum quis absque examine, & aprobatione Episcopi eos furtive recipit; vel eodem die absque dispensatione duos ordines, quorum unus sacer est; vel qui post contractum matrimonium, etiam ante consummationem, alterum ordinem recipit, vel si clericus exerceat scienter actum ordinis sacri, quem non habet. Ita constat ex jure canonico. Laici autem, licet gravissime peccent exercendo solemniter actum ordinis sacri,

Eec

hanc

hanc irregularitatem non incurrunt, quia jus solum loquitur de clericis, ut liquet ex tit. *De clerico non ordinato ministrante: c. 1. & 2.* Ex aliis illicitis ordinum receptionibus, puta per saltum, vel sine titulo, aut dimissorilis, extra tempora, non servatis interstitiis, vel ab Episcopo excommunicato, suspensio, aut etiam degradato, non irregularitas, sed suspensio incurritur.

## PUNCTUM V.

*De irregularitate ex delicto, cui annexa est infamia.*

25. Inq. 1. Cur infames ex delicto sint irregulares? R. Quia ministri altaris debent esse puri, immaculati, & boni nominis, ita ut possint dicere: *Christi bonus odor sumus in omni loco.* Unde merito infames arcentur ab altari ejusque ministris in cap. *Infames 2. p. q. 1. causa 6.*

26. Inq. 2. Ex quo delicto incurratur hæc irregularitas? R. Incurri ex delicto publico; ut ex homicidio, perjurio in iudicio, simonia, crimine læsæ Majestatis, duello, adulterio, incestu, lenocinio, usura, furto, raptu femine, & similibus. Verum ad inducendam irregularitatem, debent hæc crimina esse publica publicitate juris, vel facti; si enim occulta sunt, non adest infamia, nec consequenter hæc irregularitas ob illa. Infamia juris, seu irregularitas ex ea semel contracta, non tollitur nisi dispensatione. Infamia autem facti tollitur omnimoda, & publica emendatione, vel etiam, quidquid alii dicant, loci mutatione, ubi infamia est ignota, chimerica enim est infamia ignota. Infamia juris incurritur per sententiam iudicis, aut confessionem rei; infamia facti per notorietatem delicti.

27. Incurritur etiam infamia, & irregularitas ex officio vili, quod sine peccato gravi nequit exerceri, ut est officium histrionum, turpia representantium. Hinc usurarii notorii, ac etiam publica poenitentia multati sunt irregulares. Quidam putant incurri etiam ob officia carnificum, macellatorum, & licitorum: alii negant. Verum licet hæc officia non inducant infamiam ex jure, quia sine peccato, imo cum merito valent exerceri, ex communi tamen existimatione non par-

va laborant infamia, ideo dedecet eis addictos, dignitate ecclesiastica insignire.

28. Denique ex delicto sunt irregulares hæretici, & apostate; quam irregularitatem incurrunt etiam fautores, & receptatores, & defensores *ex cap. Saluberrimum, q. 1. de hæreticis in 6.* Pariter religiosi apostate a sua religione sunt irregulares *ex cap. Hi qui. Dist. 50. Et ex cap. finali.* An autem ob hæresim occultam incurratur, dissident Authores; quidam enim negant, ideoque hanc irregularitatem collocant sub ea, quæ contrahitur ex delicto, cui annexa est infamia, sine qua, ajunt, non incurrit. Verius tamen dicendum est ob hæresim externam, etiam occultam, præcisive ab infamia reipsa incurri irregularitatem. Tum quia diverso canone juris una, & altera irregularitas indicitur, tum quia jus pro infligenda irregularitate ob hæresim non recurrit ad infamiam. Tum quia juxta graves Authores Clemens VII. concessit inquisitoribus facultatem dispensandi in irregularitate ob hæresim occultam, quam subinde ab eis sustulit Pius V. ergo ob hæresim etiam occultam incurritur irregularitas, distincta ab ea, quæ contrahitur ex delicto, cui annexa est infamia.

29. Inq. 3. Quis possit absolvere a peccatis, quibus annexa est irregularitas? R. Vel peccata sunt reservata, vel non. Si primum, jam constat responsio ex alibi dictis. Si secundum, quilibet Confessarius approbatus valet ab his absolvere, quia irregularitas non privat potestate absolvendi, nec pugnat cum gratia, aut absolutione. Ex quo duo infetes. Primum, quod licet in jubilæis concedatur facultas absolvendi a peccatis reservatis, non intelligitur concessa pro dispensanda irregularitate, nisi exprimat. Optime enim valet quis absolvi a peccatis, & esse ingratus, quin absolvatur ab irregularitate. Secundum, quod potest quilibet Confessarius approbatus absolvere a censuris non reservatis; secus vero ab irregularitatibus, licet non reservatis, quia illæ non istæ, pugnant cum absolutione a peccatis.

## Cap. Unic. De irregularitate tum in communi, tum in particulari.

## PUNCTUM VI.

*De irregularitatibus ex defectu.*

30. Inq. 1. Qui sint irregulares ex defectu natalium? R. Esse omnes illegitimos; hoc est, natos non ex legitimo matrimonio, sive sint naturales, spurii, incestuosi, aut sacrilegi. Ita merito est sancitum a jure, tum in honorem status clericalis, tum in odium paternæ incontinentiæ. Nati ex matrimonio, bona fide in facie Ecclesiæ into, sed irritò ex impedimento occulto, nec illegitimi, nec irregulares reputantur. Expositi vero ad janua Ecclesiæ, seu hospitalis, quorum genitores ignorantur, irregulares sunt, ut liquet ex præxi romanæ Curie, ubi frequenter dispensatur cum expositis ad sacros ordines recipiendos.

31. Quatuor modis tollitur hæc irregularitas. 1. Per subsequens matrimonium, per quod filii naturales, non spurii, legitimantur. 2. Principis legitimatione: Pontificis quoad spiritualia, & Principis secularis quoad civilia. 3. Dispensatione, quam solus Pontifex concedere valet ad ordines majores, canonicatus, & Prælaturas; Episcopus autem solum ad ordines minores, & beneficia simplicia sine cura animarum. 4. Professione religiosa quoad ordines, non quoad Prælaturas: Valent tamen Superiores regulares cum suis subditis dispensare ex privilegio, etiam quoad Prælaturas. *Ud. n. 45.*

32. Inq. 2. Qui sint irregulares ex defectu animæ? R. Esse illos, qui laborant defectu usus rationis, aut scientiæ. Ex defectu usus rationis sunt irregulares infantes, amentes, lunatici, epilectici, furiosi, aut patientes lucida intervalla; non solum dum hæc patiuntur, tunc quippe jure naturali, aut divino sunt incapaces ad ordines, sed etiam dum cessant hi defectus, sunt irregulares, donec prudenti arbitrio Episcopi judicentur posse ad eos promoveri, vel in eis ministrare.

33. Ex defectu scientiæ sunt irregulares illi, qui adeo sunt illiterati, & idiotæ, ut peccatis inepti sint ad officia ordinis obeunda. Carentes autem scientiâ

ad ordines requisita à Tridentino, licet reprobati ad eos debeant, non tamen sunt irregulares; irregularitas quippe non provenit ex qualibet carentiâ scientiæ, sed ex tali, ac tanto defectu, ut ministerium exhibere non permittat. Potest tamen tolli studio, & applicatione, & tunc cessante defectu, cessat irregularitas.

34. Inq. 3. Qui sint irregulares ex defectu corporis? R. Omnes illos, qui careant aliquo membro; ut brachio, manu, pede, naso, auriculis, iadice, aut pollice, quibus hostia elevatur; vel aliquo sensu; ut visu, vel auditu, si autem surditas ordini superveniat, celebrare poterit, quia ministri auditio non est omnino necessaria. Qui utrumque oculum integrum habet, esto careat visu in dextro, non est irregularis; bene vero si in sinistro, qui dicitur *canonis*, nisi absque nota defectum supplere possit. Item sunt irregulares, qui qualibet deformitate notabili laborant in facie, ore, dentibus, capite, aut pedibus, ita ut sine baculo ad altare accedere non valeant. Item nimis gibosi; claudi, leprosi, & laborantes morbo gallico, exterius aliquo modo apparente, eunuchi, nisi causa infirmitatis sint evirati, hermaphroditi, habentes manus nimis tremulas, aut linguam valde tardiloquam, & denique omnes ita deformes, ut risum, aut horrorem excitent. Judicare autem, quando hi defectus inducant irregularitatem, pertinent ad Episcopos, vel proprios respective Prælatos ordinarios. De alio defectu nempe divitiarum, seu congruæ substantiatinnis, quæ suppletur beneficio ecclesiastico, aut patrimonio, dictum est in tract. De ordin. Pariter ibidem actum est de irregularitate ex defectu ætatis, quæ cessat, adveniente ætate requisita ad singulos ordines.

35. Inq. 4. Qui sint irregulares ex defectu libertatis, & famæ? R. Quod ex defectu libertatis sunt irregulares servi, vel mancipia. Si autem ordinentur ex consensu domini, sunt liberi. Si absque ejus consensu recipiant ordines minores, adhuc remanent servi; si ordines majores, sunt liberi, debent tamen se redimere, vel substituere alium servum. Si Episcopus scienter ordinet servum, debet reddere domino duplicatum pretium, aut duos servos. Hæc, & alia, quæ parum

referunt ad præsens institutum, constant ex toto titulo de servis non ordinandis. Pariter sunt irregulares ex defectu libertatis conjugati; non enim valent sine licentia uxoris ordines recipere, ut dictum est in tract. de matrimonio.

36. Ad eandem irregularitatem reduciuntur alia, quæ proveniunt ex defectu solvendi debita, uti adest in thesaurariis, depositariis, magistratibus, iudicibus, tutoribus, curatoribus, & curialibus, qui tenentur reddere rationem administrationis publicæ, vel privatae, si debitorum maneat. Si autem sint solventes, vel cautionem præstent de solvendo omni debito, non sunt irregulares. Feudatarii autem obstructi personaliter servire domo, & alii ministri agentes causas civiles, nisi prius talibus officiis, & negotiis se abdicent, irregulares sunt.

37. Ex defectu famæ sunt irregulares, qui ex delicto alieno fiunt infames, ut filii eorum, qui de crimine læsæ Majestatis sunt damnati; filii, & nepotes eorum, qui in Cardinalis manus violentas injiciunt, filii nati ex notoria meretrice, esto conjugata; filii denique hæreticorum nati post crimen heresis a parentibus commissam, dummodo sit notorium, & publicum, & qui in eo decesserunt, *Ex cap. Statutum de hæreticis in 6.* Filii eorum, qui officia infamia exercent, licet irregulares non sint, dedecet tamen eos ad ministeria altaris, & dignitates ecclesiasticas promovere.

38. Pariter Neophiti, idest recenteres ad fidem conversi, sunt irregulares ex defectu famæ, donec per annum saltem probentur, vel tempore sufficienti arbitrio Episcopi, & depromant testimonium suæ fidei. Secus autem Neophitorum filii, quamvis valde expedit istos etiam probare, ac caute ad ordines promovere; maxime ubi abundant Sacerdotes, & nulla necessitas ad eorum promotionem urgeat. Vid. Bened. XIV. in *Syn. lib. 12. cap. 1. n. 4. 5. & 6.*

## PUNCTUM VII.

De irregularitate ex defectu sacramenti, seu ex bigamia.

39. Inq. 1. Quotplex sit bigamia? R. Est triplex: vera, interpretativa, & similitudinaria. Vera est, quando quis duo matrimonia vere contraxit, & consumavit; vere enim dicitur bigamus, qui bis matrimonium contraxit, & consumavit. Interpretativa dicitur, quando duplex matrimonium, non vere, sed ex juris fictione, & interpretatione adest, quod juxta D. Thom. in suplem. q. 66. ar. 1. tribus modis contingit. 1. cum quis simul habet plures uxores, unam de jure, aliam de facto. 2. cum habet plures successive, unam de jure, aliam de facto. 3. quando viduam, vel ab alio corruptam duxit in uxorem, & etiam licet Virginitatem duxerit, eam cognovit, postquam fuit adulterata: in his omnibus requiritur copula affectu maritali habita, ut caro dividatur, & impedimentum resultet.

40. Bigamia similitudinaria adest, quando solemniter professus, vel sacris initiatus contrahit, & consumat matrimonium, sive cum virgine, sive cum corrupta, quia reputatur duplex matrimonium, aliud spirituale, aliud carnale attentatum. Si laicus contrahat cum moniali professa, non fit irregularis, esto videatur adesse eadem paritas rationis; quia prima irregularitas est expressa in jure, non vero secunda. Igitur omnes bigami sunt irregulares ex defectu sacramenti, seu significationis unionis Christi cum Ecclesia, idest unius cum una, *ex cap. Præcipimus, de bigamis, & alibi.* Vid. Tract. de matrimonio a n. 113.

41. Obijc. Non oritur irregularitas ex bigamia ratione defectus sacramenti; nam qui duo, vel plura matrimonia rata iniret, non esset irregularis; nec ratione copulæ, nam qui cum diversis feminis plures copulas extra matrimonium haberet, non censetur irregularis, ergo ex nullo capite bigamia inducit irregularitatem.

42. R. neg. aut. Quoad 1. partem; quia defectus sacramenti consistit in divisione carnis per copulam maritali, quæ non reperitur in matrimoniis rata, nec in co-

pu-

## Cap. Unic. De irregularitate tum in communi, tum in particulari. 405

pulis extra matrimonium. Ideo irregularitas ex bigamia, seu defectu sacramenti solum oritur ex duplici matrimonio consumato, sive reali, sive interpretativo, sive similitudinario. Præterquamquod in his, quæ dependent ex jure mere positivo, & expresse constant, non tam ratio, quam dispositio attendi debet; sæpe enim paritas fallit, & ratio caligat.

43. Inq. 2. An per baptismum tollatur hæc irregularitas? R. neg. Quia baptismus dimittit culpam, sed non solvit conjugia, nec bigamiam. Unde nulla irregularitas ex defectu tollitur per baptismum. Imo omnis irregularitas incipit cum baptismo, supposito defectu, excepta, quæ provenit ex defectu lenitatis, quia solum est imposita baptizatis; ideo si defectus lenitatis præcedat baptismum, non incipit irregularitas cum illo. In bigamia vera, & interpretativa solus Pontifex valet dispensare; in similitudinaria vero potest etiam Episcopus, ut colligitur *ex cap. Sane, de cleric. conjugat.*

44. Obijc. Irregularitas proveniens ex bigamia est de jure divino, ut patet *ex 1. ad Tim.* 3. ubi dicitur, quod Episcopus debeat esse unus uxoris vir, ergo nequit Papa in ea dispensare. R. Nullam dari irregularitatem ex jure divino; loco enim laudato non loquitur Apostolus tamquam promulgator legis divinæ, sed ut doctor particularis docens, quid oporteat fieri. Unde licet irregularitas hæc sit conformis legi divinæ; non tamen est de lege divina; proindeque valet dispensari a Papa licite cum causa, & valide sine illa.

45. Dubitat Concina in præsentem, an Prælati regulares possint dispensare cum suis subditis in hac irregularitate; sed ejus dubitatio tollitur lectione Bullarum sui ordinis; ibi enim reperitur Bulla Bened. XIII. incipiens: *Prætorius*, edita anno 1727. ubi conceditur Prælati dominicanis (& aliis per communicationem) dispensare posse super quavis irregularitate, ex homicidio voluntario dumtaxat excepta. In hac insuper conceditur Generali ordinis facultas dispensandi, si homicidium fuerit intra claustra consumatum sine insidiis, aut industria. Manet igitur posse Prælatos regulares cum suis subditis in omni irregularitate modo dic-

in communi, tum in particulari. 405  
to ex privilegio dispensare, quod etiam alii Pontifices antea eis benigne concessere.

## PUNCTUM VIII.

De irregularitate ex defectu lenitatis.

46. Inq. 1. Quando incurritur irregularitas ex defectu lenitatis? R. Incurritur, quando homo occiditur autoritate publica in duplici casu, nempe vel ex justa sententia Judicis, vel in bello justo. Unde ex capite justæ sententiæ fiunt irregulares omnes baptizati, qui ut ministri justitiæ concurrunt proxime ad homicidium, vel mutilationem justam; ut Judex, assessor, fiscalis, advocatus, tabellio, testis necessarius, satellites, custos carceris, accusator, aut denuntiator, præco, carnifex, & si quis alius concurrat proxime ad sententiam ferendam, seu exequendam. Domini vero temporales, etsi ecclesiastici, ferentes leges sub pœna capitis, vel committentes aliis causas sanguinis, vel invigilantes, ut leges serventur, nisi in particulari præcipiant hunc, aut illum suspendi, non fiunt irregulares; alias eorum jurisdictioni inutilis, aut manca foret. Idem est de Judice ecclesiastico, tradente clericum a se degradatum brachio sæculari puniendum, si intercedat pro eo, ut citra sanguinem puniatur. Inquisitores vero possunt ferre sententiam mortis, & tradere reum brachio sæculari sine dicta intercessione; imo instando pro executione, ex privilegio Pauli IV. & Pii V.

47. Inq. 2. An fiat irregularis accusator, protestando se nolle mortem, aut mutilationem accusati, sed tantum, ut suis, suorumve damnis satisfiat? R. Quod si in vindictam in causa criminali petat, unde mors, aut mutilatio sequatur, fit irregularis, esto protestetur se id non intendere; talis enim accusatione manifestat se punitionem quærere. Si autem solum petat satisfieri, aut damna sibi, vel suis illata, dicta protestatione, esto inde sequatur sententia sanguinis, non fit irregularis, etiamsi sic petens clericus sit. *Alioquin daretur plerisque malefactoribus materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona libere deprædandi, inquit*

Bo-

48. Igitur clericus accusans coram Iudice seculari debet protestari se non vindictam, sed satisfactionem damni intendere; alias fit irregularis, esto ex oblivione omittat protestationem. Si autem illam præmittat, potest sine scrupulo petere sibi, suis consanguineis, aut suæ Ecclesie damna satisfieri. Eodem modo potest consulere laicis accusationem, ac simul protestationem; hac enim præmissa, nec laici, sic accusantes pro damni reparatione, fiunt irregulares; quod iure merito sancitum est, ut furtis, & rapinis via occludatur. Possunt etiam clerici eodem modo accusare de injuriis inferendis, si alia via nequeant evadi. Secus de injuriis personis illatis, fierent enim irregulares, si mors, aut mutilatio sequeretur. Nam hæc irregularitas indicata est, ut arceantur ab altari ministri, qui in mansuetudine non representant Agnum immaculatum, qui proprium, non alienum sanguinem pro omnibus fudit. *In cap. Sententiam. Ne clerici, vel monachi, & alibi.*

49. Inq. 3. An confessarius consultus a Iudice de reo digno mortis, respondens debere occidi, fiat irregularis? R. neg. Quia Confessarius non concurrat, ut minister justitiæ, vel autoritate judiciali, sed ut consulens salutem penitentis. Omnes ajunt, quod Confessarius potest, & debet hortari Iudicem, ut observet leges præscribentes reis poenam capitis; imò debere negare absolutionem volenti suspendere reum mortis. Putant tamen plures non posse Confessarium hortari Iudicem, ut huic reo sententiam mortis applicet. Igitur Confessarius, & quilibet alius clericus, de tali casu consultus, respondeat in generali reos hujusmodi criminis dignos esse mortis, aut juxta leges debere puniri: tamen licet dicat in particulari hunc homicidam esse dignum mortis, vel debere puniri, non fit irregularis ex indicata ratione, nempe quia, ut minister justitiæ, non concurrat.

50. Eadem ratione non fiunt irregulares clamans, aut indicans adesse latrones, faberignarius furcam, aut scalam faciens, nec alii funes, gladium, aut alia instrumenta conficientes, quia non concurrunt

proxime, ut ministri Justitiæ. Testes vero fiunt, si necessarii sint ad causæ probationem; secus si ad eam jam non sint necessarii, nec si cogantur testificari. Nec tenent paritas Judicis, qui cogitur reum punire, & tamen fit irregularis, quia Juxta voluntarie munus admisit, quod non accidit in teste coacto. Idem est cum portione de advocato contra reum.

51. Inq. 4. Qui fiunt irregulares ex defectu lenitatis in bello justo? R. Solum fieri illos, qui propriis manibus occidunt, aut mutilant: cæteri, esto clerici, aut religiosi sint, consulentes, vel animantes, milites, ut strenue agant in pugna, minime fiunt irregulares. Hinc apparet diversitas magna inter bellum injustum, & justum, quod in illo licet unus tantum occidat hominem, omnes manent irregulares; in isto autem solum fit irregularis, ille qui occidit. Imò si occidat in sui, vel Patriæ defensionem cum moderamine inculpate tutelæ, non fit irregularis, esto sic occidens clericus sit, quia defensio justa est de jure naturali. Unde necessitate defendendi se, aut patriam, possunt etiam clerici, aut religiosi sumere arma, & pugnare præsertim adversus hæreticos, infideles. *Ex cap. Si furiosus. Et ex cap. Interfecisti. De homicid.*

52. Inq. 5. An occidens furem ob defensionem bonorum fiat irregularis? R. 1. Certum est irregularem fieri, si bona sint parvi momenti, & valoris v. g. unius aurei, ut constat ex propositione 31. damnata ab Innoc. X. Ex ea enim patet graviter peccare, & consequenter irregularem fieri illum, qui occidit furem invasorem talium bonorum, quæ parvi momenti reputantur.

53. R. 2. Probabilius est fieri irregularem eum etiam, qui occidit furem ob defensionem bonorum magni momenti, quia, ut diximus tract. 16. vita est supra omnia bona temporalia, & ordinis superioris ad cætera, ergo injuste eripitur pro defensione eorum. Eadem ratione incurrit irregularitatem, qui occidit invasorem pudicitie, fame, aut honoris, quia hæc omnia sunt inferioris ordinis respectu vitæ. Solum igitur eximitur ab incurrenda irregularitate ex defectu lenitatis, & etiam ex homicidio, qui cum moderamine inculpate tutelæ occidit invasorem vitæ, quam

quam aliter nequit defendere.

54. Inq. 5. An milites præstantes in bello justo volentes postea ad ordines promoveri, indigeant dispensatione, si aulicis propriis manibus occiderint? R. negat. Ita Bened. XIV. Inst. for. ubi ait: "Laicos, aut initiatos in Minoribus non fieri irregulares ex eo præcisè, quod arma sumpserint; nec præstantes in bello justo, si certi sint neminem propriis manibus occidisse; imò esto occidat etiam Sacerdotio fungens pro defensione patriæ vitæ, ut accidit cuidam Capuccino, qui in navi aggressus occidit septem turcas, & postquam subinde dispensationem a Pio V. respondit ei Pontifex, ea non indigere." Advertit ibidem, dispensationes, quæ petuntur, sæpe ad cautelam concedi a Pœnitentiaria, & Dataria, non quia judicatur necessaria, sed pro quiete conscientie. Tamen indigent dispensatione ad sacros ordines, & beneficia cum cura illegitimi, licet illegitimitas sit penitus occulta: quo in casu ad Pœnitentiariam est recurrendum. Exprimi autem debet, an illegitimus sit ex laico, cleri-

co, aut Sacerdote, tum quia gravius crimen difficilius dispensatur; tum quia aliquando duplici opus est dispensatione: ut si illegitimus vult habere beneficium in Ecclesia, ubi pater eius illud habet, vel habuit, vel ipsum beneficium relictum a patre obtinere cupit; quæ omnia pro dispensatione sunt omnino exprimenda. Vid. trid. Sess. 25. cap. 15. de reform.

55. Inq. 5. An irregularitas ex defectu lenitatis, aut quolibet alia incurrat ante sententiam Judicis? R. affirm. Quia cum nulla sit irregularitas, nisi expressa in jure, eo ipso quod in jure sit expressa, deservit pro sententia, quia alia requiratur.

56. Inq. 6. Sub qua formâ debeat dari dispensatio ab irregularitate? R. Forma dispensandi reperitur in rituali rom. præscripta sic: *Dispensio tecum super irregularitate, quam incurristi ob talem causam, & habilem reddo; & restituo te executioni ordinum; & officiorum tuorum. In nomine Patris; & filii; & Spiritus sancti.*

## TRACTATUS TRIGESIMUS OCTAVUS

### DE STATU RELIGIOSO.

**C**um Religio sit virtus, per quam homo in obsequium Dei aliquid exhibet, merito nuncupatur *status religiosus* ille, in quo ejus professores omnibus, quæ mundi sunt renuntiantes, Dei obsequio in perpetuum mancipantur. De hoc igitur statu breviter disserendum nobis est præsentis tractatu. Prius autem de voto illum assumendi.

#### CAPUT I.

##### De statu religioso in communi.

#### PUNCTUM I.

##### De voto religionis.

1. Inq. 1. Quid sit votum religionis? R. Est deliberata promissio Deo facta ingrediendi religionem. Hujusmodi votum

esse bonum, ac laudabile solum hæretici negare audent; ingressus quippe religionis maxime Deo placet; sic enim perpetuo homo Deo mancipatur, offerendo de seipso perfectissimum holocaustum. Si autem in particulari non expediat aliquando emitte tale votum, pendet ex circumstantiis volentis; sed aliud est votum esse laudabile, aliud vero aliquando in particulari non expedire, ut conjugato, servo, aut alteri periculati circumstantia impedito.

2. Aliud est votum ingrediendi religionem, aliud perseverandi, & aliud in ea moriendi. Votum ingrediendi obligat ad ingressum juxta formam juris, hoc est, ut quis experiatur, an sibi conveniat ille status, & possit absque magna difficultate illum portare. Unde si recta intentione ingrediatur, & ex justa causa recedat, non tenetur amplius voto. Votum vero per-